

nec unquam a veritatis tramite deviasse, qui ipsius tenuerit vestigia, secure promittat? Ergo ut orationis nostræ finis in suum recurrat principium, divinæ ipsius sapientiæ consilium totis oculis amplectendum proponamus, Ecclesiast. vi: *In multitudine sapientium sta, et sapientiæ illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire, et proverbia laudis non effugiant a te; et si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exerat pes tuus.* Hæc sollicitudo debet esse omnium, hæc unica cura, et finis: standum nobis est in multitudine presbyterorum sapientum, id est, in schola, academiaque doctorum, et sapientiæ eorum ex corde

debemus conjungi, ut disciplinam intelligere possimus, et quidquid nobis de Deo per fidem, scientiamque enarratur; sed inter hæc si unum sensatum videmus, si tanti, et tam divini sensus magistrum quem recte inter omnes sensatum appellare possumus, qualis est Thomas, invenimus, quid restat nisi ut ad eum vigilemus, et gradus ostiorum ejus exerat pes noster, ut in illos jugiter meditates, et labore sedulo, sinceraque intentione intelligere cupientes, puram quoque, ac profundam ejus intelligentiam sine erroris periculo videamus, sine jurgio defendamus, sine dissidio sectemur.

### QUÆSTIO SEXTA.

*An in damnatorum spiritibus sit alternatio, et vicissitudo tormentorum?*

I. Ultricem summæ justitiæ manum, et fulminantem divinitatis dexteram inter splendores gloriæ, inter arcana, et abscondita a sæculis immensæ suæ lucis mysteria contemplamur, haud ignari præcipuam admirationis, et reverentiæ vim in numine non tam a speciosissimis attributorum suorum luminibus, et gratiis, quam a terribili indignantis omnipotentis severitate, et vindicantis fortitudine in humanis cordibus incitari. Et suggerit mihi nunc prudentissimæ illius Esther regis sententia, non ignobilem ponderationem, quæ cum in conspectum Assueri regis non vocata, nec invitata venisset, intuens fulgorem regis majestatis, cultum vestium

splendidissimum, solium magnificentissimum, ac sublime, in quo ut inquit Scriptura, residebat ille indutus vestibus regiis, auroque fulgens, et pretiosis lapidibus, eratque terribilis aspectu, corruit regina pene exanimis ad tantæ magnitudinis aspectum; causamque pavoris, ac formidinis exprimens: *Conturbatum, inquit, est cor meum præ timore gloriæ tuæ, valde enim mirabilis es domine, et facies plena est gratiarum.* Nimirum inter tot glorias, et tot gratiarum admirationes, quibus regia facies plena videbatur, solus potestatis terror reginæ animum invasit, et tam valide corripuit, ut pallenti vultu, et congelato spiritu cor ad deliquium usque

defecerit, et corruerit. Quid ergo mirum si ad excelsum illud, et elevatum summi verticis solium, in quo propheta sedentem Dominum aspexit, a cujus immensi luminis fulgore oculos suos velant, et obtinent supremi Seraphinorum ignes, nos tantilli accedentes, et summæ illius pulchritudinis splendores, ac divinarum attributorum scintillantia lumina, quasi regiam divinitatis faciem omnium gratiarum plenam per nostræ tenuitatis umbras, et ænigmata fidei speculantes, solus indignationis divinæ, et punientis dexteræ terror, quasi sagittæ Domini spiritum ebibat, illudque de tot mirabilibus divinarum perfectionum varietatibus, sive ad summi decoris pulchritudinem, sive ad supremæ majestatis sublimitatem certantibus, præ cæteris expendendum, proponendumque sumamus, quod ad æternæ severitatis formidinem commendandam terroremque potestatis illius concipiendum inducit? Qualis videlicet et quanta sit illa perpetui carceris, et supremæ acerbitalis magnitudo, an mutationem aliquam, alternationemque in pœnis admittat; an vero omni simul irruentis vindictæ, et toto tormentorum pondere, nisi miserabilis turba damnatorum spirituum sine ulla vicissitudinis alternatione obruatur.

II. Et quidem omnia pœnarum genera non alternatim, sed constipato impetu in æternis illis suppliciis miseros comprehendere, non modica Scripturæ sacræ verba nobis significant, ut cum Apocalyps. xviii, de damnatione impiæ Babylonis, quo nomine reproborum omnium multitudinem contineri nemo ignorat, sic dicitur: *Ideo in una die venient plagæ ejus, mors, luctus et fames, et igne comburentur:* ubi, in una die, similitatem temporis satis insinuat, in qua non una plaga,

sed multiplex Babylonem undique circumcinget, ignis comburens, mors occidens, luctus anxians, fames crucians. Nec minus acerbissimum illum calicem iræ Dei, de quo bibent omnes peccatores terræ, et quanta pœnarum misceatur varietate, cum propinandus inclinabitur ex hoc in hoc, nobis manifestant verba illa Psalmi x: *Pluet super peccatores laqueos, ignis et sulphur, et spiritus procellarum pars calicis eorum,* quasi dicat: Non totus calix continet diversas illas amaritudinum species, ut cuilibet suam alternando porrigat, sed pars quælibet, unusquisque calicis illius haustus ignem, sulphurem, et procellam, id est, omnia simul pœnarum genera ori ebibentis infundet. Et sicut laquei qui ponuntur super terram non simul quidem complicant, sed ab uno in alium inciditur, laquei tamen, qui sicut pluvia cadunt simul sine ulla vicissitudinis mora, in quos cadunt, irretiunt: sic infernorum laquei quasi pluvia desuper emissa peccatores comprehendunt, ut nulla alternationis mutatione, sed toto invadentium pœnarum concursu fatigentur.

III. Sed audiamus quam graviter luctuosum illum egredientis animæ de corpore statum, in cruciatus æternos abeuntis, Spiritus sanctus per os beati Job nobis describat, et in intima cordis viscera recludat: *Omnis dolor, inquit capite xx, irruet super eum. Utinam impleatur venter ejus ut emittat in eum iram furoris sui, et pluat super illum bellum suum. Fugiet arma ferrea, et irruet in arcum æreum. Eductus et egrediens de vagina sua, et fulgurans in amaritudine sua, vadent, et venient super eum horribiles, omnes tenebræ absconditæ sunt in occultis ejus, devorabit eum ignis, qui non succenditur, affligetur relictus in tabernaculo suo:* ubi S. Thomas litteraliter locum is-



tum explicans lectione secunda in prædictum caput Job: »Fugiet, inquit, arma ferrea, id est, pœnas præsentis vitæ, impatienter eas sustinendo, quæ ad modum gladii ferrei feriunt de propinquo, et irruet in arcum æreum, id est, in pœnas futuræ vitæ, quæ quasi feriunt a remotis, ad modum arcus ærei, qui est infrangibilis, ut futurarum pœnarum interminabilitas designetur. Exponit autem consequenter hujus arcus processum dicens: Eductus, et egrediens de vagina sua (supple est) arcus ille, quamdiu enim arcus est in vagina non percutit, et similiter ultio futuræ damnationis quamdiu est in Dei præsentia, quasi in quadam vagina non damnat, sed educitur de hac vagina per malitiam provocantem Deum, et tunc egreditur per dispositionem divinam, et ejus effectum ostendit subdens: Et fulgurans in amaritudine sua. Sicut enim fulgur de supernis subito, et cum violentia, et claritate venit, ita ultio illa infertur peccatori a Deo ex improvise cum tanta violentia quod resisti non poterit, et cum tanta claritate justitiæ, quod excusationi locus non erit, et ex hoc peccator replebitur amaritudine. » Ita D. Thomas.

IV. Si ergo educta anima de corpore omnis dolor super eam irruet; si pluet super illam bellum Dei; si in arcum æreum impinget, qui infrangibili fortitudine in orbem curvatus interminabiles futuræ vitæ pœnas designat; si inebriabuntur amaritudine fulgura sagittarum suarum; si omnes tenebræ abscondentur in occultis ejus; si denique horribiles dæmonum larvæ tota debacchatione miseram invadent, quid reliquum est, aut quis locus superesse potest pœnarum alternationi, mutationique tormentorum? Sed quid in ipsa devorantis ignis viscera, et interiora infernorum claustra

ingredi necesse est, quando inter sempiternos ardores omnis creatura armabitur contra insensatos, quando juxta prophetam congregabuntur omnes congregatione unius falcis in lacum, et claudentur ibi in carcere, si in ipsis etiam inferorum portis in ipso aditu tartaræ regionis, et ferali umbra horroris sempiterni omnis generis pœnarum formido etiam a longe animum concutiat, ac dissolvat, ut vere de illo dictum sit Job xli: *Portas vultus ejus quis aperiet? Per gyrum dentium ejus formido. Quis revelabit faciem indumenti ejus, et medium oris ejus quis intrabit?* An immanitate illa oris tartarei, et sulphurei halitus flamma se aperiente inter horrores dentium illorum, et ferrei vultus portas, unius vel alterius torture formido monstrabitur, et non potius omnes funestæ acerbatis pœnæ pleno agmine obstinatum spiritum circumcingent. Etenim, ut egregius etiam poeta cecinit, vestibulum ante ipsum, primisque in faucibus orci luctus, et ultrices posuere cubilia curæ, palentesque habitant morbi, tristisque senectus, et metus, et male suada fames, et turpis egestas: terribiles visu formæ, lethumque, laborque, multarum interea variarum monstrata ferarum.

V. Addo maxime ad æternitatem illorum suppliciorum conducere invariabilitatem eorum sine ulla alternationis vicissitudine, eo quod æternarum hoc proprium est, quod perpetuo citra aliquam novitatem, et mutationem durent eodem statu, situ, modo, etc. Sic enim Threnorum tertio acerbissimam illam tormentorum congeriem luget propheta, cum inquit: *In tenebrosis collocavit me quasi mortuos sempiternos, circumædificavit adversum me ut non egrediar; aggravavit compedem meam, replevit amaritudinibus, inebriavit me absinthio, et fregit ad nu-*

*merum dentes meos, cibavit me cinere, et dixi: Periit finis meus, et spes mea a Domino.* Quis inter istas dolorum undas, et angustiarum circumdantium fluctus alternationem inveniatur, aut succedentium pœnarum vicissitudinem expectet? Cum circumdent undique, et circumædificent æternitatis ambitu ærumnosam animam angustiarum interminabiles, nec una, sed omnibus repleant amaritudinibus, ita ut omnium oblita bonorum penitus ab omni sit pace repulsa. Denique ad ipsam magnitudinem mali, et aggravationem torture facit, quod hæreant damnati pœnis eisdem sine intermissione affixi, et de uno in aliud minime commigrent; transmutatio enim pœnarum licet in deterius sit, aliquo modo levatur, sicut e contra delectabile multoties repetitum, et continuatione quadam sumptum, fastidium generat. Unde et de manna omne saporis delectamentum in se habente dicebant fastidiosi illi Israelitæ: *Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo:* et in Psalmo cvi: *Omnem escam abominata est anima eorum.* Dicitur enim manna omnis esca, ut quidam volunt, quia vice omnium escarum, et omnigeni saporis præstaret. Ergo sicut ad aggravationem fastidii continuatio ipsa, licet in re tam delectabili degenerat, multo magis ad pœnæ cumulum pertinet ipsa tormenti continuitas, et omnis alternationis denegatio.

VI. Et sane vix potest explicari quo loco, vel situ, aut quibus mediis illa frigoris, et caloris tormenta sint disposita, et alternantium instrumenta pœnarum, quomodo de una torture in aliam damnati transferantur inter tantam, quæ futura est spissitudinem, et compressionem corporum damnatorum, quomodo qualitates illæ succedentes sese expellant, et in ipsa expulsionem non

aliquid mitigationis, aut levaminis inferant frigore calorem extinguente, et calore frigus mitigante, quod totum vix sine alteratione potest contingere, quæ tamen post diem judicii cessabit omni cœli motu quiescente. Sed de his vespertinum appello judicium, et suspensus hæreo dum ad aciora argumentorum vestrorum judicia, congressusque attentionem animumque dispono.

VII. Quam graviter intonant divina judicia, quam profundæ factæ sunt cogitationes ejus, cum intueri licet faciem abyssi jacentis deorsum, cum illum carcerem mundi, totius horroris, et caliginis omnique generis pœnarum, et afflictionis plenum, omnium tormentorum crudelitate, et immanitate terribilius contemplari datur, et eloqui. Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, ferrea vox, omnes scelerum comprehendere formas, omnia pœnarum percurrere nomina possem, ut gentilis cecinit poeta, sed vividius divinus vates: *Justitiæ tuæ, inquit, sicut montes Dei, judicia tua abyssus multa:* ubi enim laxaris habenis inter peccatores sempiternæ illius justitiæ, et interminabilis sententiæ censura divina discurrit, ipseque ignis omnipotentis iræ in furore succensus ardet usque ad inferni novissima. Quis poterit cogitare diem terroris ejus, aut quis stabit ad videndum eum? Quid enim sunt singulæ illæ justitiæ, et punitiones ardentis vindictæ, nisi montes singuli, montes magni, montes Dei sub æterno pondere infelicissimos spiritus obruentes, et gemitu, luctuque incessabili aggravantes? Ergo singulæ pœnæ singuli montes, et judicia illa non unica, non pauca, sed plane abyssus multa, quæ cujuslibet quantumcumque acutissimi intellectus aciem, et præcipitio terrent, et caligine involvunt.

VIII. Certe duo sunt, quæ maxi-